



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

31. De Clementia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

Notandum est, Patientiam esse duplicem: alia enim cernitur, & consistit in tolerandis doloribus, ærumnis, afflictionibus & incommodis huius vitæ; qualis fuit in Martyribus, & plerisque alijs sanctis: alia in contumelijs, iniurijs, contemptu. Hæc sola in Deo locum habet; estque in eo infinita, & nobis summè imitanda, si filij eius esse volumus. Vtraque fuit in Christo eminentissima: quem proinde in vtrâque debemus imitari.

CONSIDERATIO XXXI.

De Clementia Dei.

Clemens dicitur quia benignissimus erga peccatores.
 I. Quia tanquam mitissimus Iudex facilis est ad mitigandas poenas peccatis debitas. Nam etiam in altero seculo punit infra meritum, cum iustè acriora

Supplicia damnatis posset irrogare: & in hac vita ad vnum veræ poenitentię gemitum remittit poenam eternam, eamque in temporalem commutat, breui castigatione, & leui contentus; quã in vitã multis facilissimisque modis concessit redimi.

2. Quia facilis est ad condonandas omnes iniurias in se commissas, etiam infinitas, & infinite quodammodo atroces. Nulla enim est tanta multitudo, nulla tanta enormitas peccatorum, quin ipse paratus sit ignoscere, & omnia condonare, si ex animo doleamus, & veniam petamus: idque non semel, non decies, vel centies; sed millies, & decies millies.

3. Quia non solũ paratus est ignoscere, sed etiam in filios adoptare, & ad gloriæ suæ communionem admittere: quam ob causam, etiam auersos & inimicos, innumeris modis cum insigni maiestatis suæ demissione.

missione reuocat, vt redire volentibus possit ignoscere, & æternam damnationem ab illis auertere; eosque in filios adoptare, & suæ gloriæ facere participes.

4. Maximè cernitur eius dulcissima Clementia in mittendo filio, qui nos doceret & reuocaret, qui nos ad pœnitentiam & sanctã vitam adduceret, vt pœnas inferni possemus euadere, & vitam æternam, gloriæque ipsius communionem consequi.

CONSIDERATIO XXXII.

De Misericordia Dei.

Misericors dicitur; 1. vt fons omnis misericordiæ & affectus miserendi in Angelis, & hominibus.

2. Quia quantum in ipso est, totum genus humanum, quod exciderat à salute æterna in æternam